

partes, & ipsarum partium nexus; in composito id duntaxat possumus intelligere, vel partes quasdam extrinsecus apponi, vel ceteris interponi, aut nonnullas auferri & transponi, aut omnes simul ex uno loco in aliud transferri. Itaque mutationes nullæ in composito accidere possunt nisi ratione magnitudinis, figuræ, situs partium, aut etiam ratione loci totius compositi.

IV. Ens *simplex* dicitur quod partibus caret; quia vero ens compositum partibus constat, evidens est enti simplici convenire non posse, quæ composito tribuuntur, quantum est compositum. In vulgari tamen sermone *simplex* dici solet, quod est minus compositum; quoniam autem omne ens vel partes habet vel non, omne ens est *simplex* vel compositum. Quemadmodum vero compositum dividi potest, ita e contrario *simplex*, quod nullas habet partes, dividi non posse manifestum est.

V. Ens *simplex* ex composito oriri nequit; etenim ponamus, si fieri potest, ens *simplex* ex composito oriri. Quoniam compositum constat ex pluribus partibus distinctis, quidquid ex composite oritur, hoc est, quidquid existere incipit, illud oriri debet vel facta partium dissolutione, vel nova partium dissolitarum facta connexione; & quidem nihil aliud his partibus accidere posse evidens est. Si partes dissolutæ novo quodam modo conjungantur, prodit ens compositum, non *simplex*: si facta partium dissolutione aliquid prodit, vel existere incipit ens compositum, quod antea non existebat, vel si ens *simplex* pro-

dit,